

integritate pertinet secundum quod in privilegiis concessionum continetur, & legatur huc privilegium sicut Dominus Imperator antecessoribus suis concessit Cæsaream, quæ modo Alexandria appellatur cum habitatoribus, & cultoribus, & omni jure ad eandem Cæsariam pertinente, secundum quod melius concedere potuit. Legatur etiam hic privilegium concessionis Marengi, Gamundi, Fori, Solerii, de quibus fundata est Alexandria, & sunt signata per A, & legatur etiam carta secundum quod Wilelmus marchio Palodo dedit Domino Bonifacio quondam Solerium, & Apianum.

II. Item dicatur hic, secundum quod antecessores ipsius Marchionis tenuerunt, & possederunt quiete prædicta loca, de quibus fundata est Alexandria usque ad tempus, quo ipsi civitatem fecerunt cum injuria Marchionis, & hoc publicum est, & notorium, & posset etiam per multos testes probari. Et si Alexandrini dicunt, quod super his facta est pax inter patrem ipsius Marchionis, & commune Alexandriæ petit D. Marchio, ut pax illa sibi servetur. Et quod factum est contra formam ipsius pacis debeat reparari, & restitui scilicet, ut medietatem omnium regalium, quæ D. Imperator quondam habebat in illa civitate intus, & extra, sibi in pace dimittant.

III. Item ut dimittant totius Sezaine scilicet medietatem pro indiviso Sezai, Ritorti, Castri novi, & utriusque Carpaneti, & Canovii cum omni integritate, & honore.

IV. Item petit, ut pro alia medietate rerum prædictarum, Alexandrini omnes ad XV. annis supra, & LXX infra ei fidelitatem faciant secundum formam prædictæ concordie, & secundum quod fecerunt quondam patri suo semel, & bis; & quod quilibet potestas Alexandriæ, qui fuerit pro tempore suo, si non fuerit civis Alexandriæ debeat jurare ipsum Marchionem custodire, & salvare in persona, & rebus secundum formam dictæ concordie; & legantur hic duæ cartæ, vel tenor ipsarum concordiarum signatæ per B.

V. Item petit idem Marchio, ut homines Alexandriæ, homines Apiani, Ritorti, Felcarolii, qui erant homines Marchionis, & si quos alios receperunt in vicinos, vel habitatores de terra ipsius Marchionis debeant licentiaré, & ad pristina loca absolutos facere redire secundum formam dictæ concordie.

VI. Item petit, ut homines Alexandriæ, quæ quondam Robaldus Borsa, vel aliquis pro ipso Marchione tenebant in castro, & poderio de Alice, quæ omnia prædicti Alexandrini occuparunt injuriose: & quia turrin, & domum ipsius Robaldi quondam radicitus destruxerunt petit pro damno marcas D. argenti.

VII. Item petit, ut Albertum de Alice, qui erat homo ipsius Marchionis debeant absolvere, & deliberare secundum formam dictæ concordie.

VIII. Item petit, quod non impediant ipsum Marchionem, quin teneat, & possideat feudum, qui ipse Albertus tenebat in Sezagio ab ipso Marchione secundum quod ejus legalis curia judicavit.

IX. Item petit, ut ei restituant turrin, & domum

& alia jura, quæ habebat in Lanerio in illum statum in quo erant prædicta, quando Marchio ea accommodavit, seu præstavit Ambaxiatoribus communis Mediolani, qui Ambaxiatores ei convenerunt & promiserunt reddere in eo statu, in quo erant tunc cum omni damno, & ad interesse; & legatur hic instrumentum promissionis signatam per H, vel solvant ei IIM. marchas argenti pro damno dato in destructione prædictæ turris, & domus.

X. Item petit, ut castrum de Briduno novo malo ordine occupatum eidem restitatur.

XI. Item petit, quod tenent in Gonzano, & in Montecastello, quod factum est de castello, & villæ Ponzani; & legatur hic privilegium concessionum Gonzani, Ponzani, Monticastelli signatum per A, & carta signata per D.

XII. Item petit medietatem Marenzanæ, & medietatem turris Lintignani, quæ occupaverunt, quæ quondam fuit Belengerii, & fratris; & legatur hic carta acquisitionis signata per C.

XIII. Item petit, ut homines de Quadringento debeant dimittere terras, quas acquisiverunt de poderio, seu de curte Appiani, vel ea serviant, secundum quod veteres tenitores servire solebant.

XIV. Item petit, ut potestas, & commune Alexandriæ faciant rationem hominibus Marchionis de hominibus Alexandriæ de contractibus, & aliis querimoniis, quæ inter eos vertuntur, & specialiter Opicioni Bonezano, & fratribus, & quod non impediant ipsum Opicionem, & fratres tenere, & possidere res, quas quondam Albertus, & Opizo de Forio (1) tenebant, vel habebant in Gonzano, quas ab eis habent pignori obligata.

XV. Item petit pro damno dato in villa, & castro Filizzani, quod combuxerunt, & destruxerunt, antequam Marchio eos offenderet IIM. marchas argenti.

XVI. Item præten dit pro damno dato in villa de Lu, & poderio, quod combuxerunt, & destruxerunt IVM. marchas argenti.

XVII. Item petit pro damno dato in villa, & poderio Capagnæ, & poderio Vignalis, & Casortii, & Grazani, & Pontis Sturiæ, & Terriculæ, & Brioni, & Mombarucii, & Rocaldoni VIIIM. marchas argenti.

XVIII. Item quod ipsi Rectores debeant se intromittere, & cognoscere de facto fidelitatis, & regalium, quod Marchio debet habere in Alexandria, non obstante interlocutoria sententia, quæ data est per ipsos, ita probamus. Quia postquam Marchio societatem juravit, requisivit fidelitatem a communi, & hominibus Alexandriæ ab eis incipiendo tamquam a majori vasallo, qui usque ad illud tempus fideles extiterant propter fidelitatem, quam fecerant patri suo semel, & bis; & de plano in possessione, seu quasi possessione erant fidelitatis, & regalium tunc demum ei injuriam facere coeperunt, & illud fuit principalis causa præsentis guerræ; & si de hoc dubitaretis ex officio nostro cognoscatis per nuncios Marchionis, & etiam per milites L., vel LX., qui interfuerunt prædictæ requisitionis fidelitatis.

XVIII. Quod dicimus de facto Felcarolii, quia per homines Felcarolii, & per alios ejusdem terræ